

...ration.

4

01

A

55



M. K. 22⁷
(Luth. 43 F. 43.)

POSITIONES PHILOLOGICÆ
GRÆCUM EPISTOLARUM DOMINICALIUM
TEXTUM CONCERNENTES,

Eruditæ φιλολογίῃς Disquisitioni exhibitæ

in,

ACADEMIA LIPSIENSI.

EXERCITATIO

DECIMA NONA

ad Peric. Epist. Domin. Latere

ex Gal. IV. 21---31.

PRÆSIDE

L. JOHANNES OLEARIO, GRÆC.
LITER. PROF. PUBL.

Respondente

AUGUSTINO FRITZSCHIO, Mühlenf. Misn.

Ser. Elect. Sax. Alumno,

d. IIX. April. A. R. O. clō lōc LXXI.

in

Auditorio Alumnorum Electoralium, Horis

pomeridianis à II, ad IV.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS BAUERL

MAXIME REVERENDO, GENEROSO
MAGNIFICO ET STRENUO
DOMINO

DN. JOHANNI DIETERICO
von Schönberg/

Toparchæ in Goldschau/Reichenbrand/und
Grüna / Serenis. Ducis Sax. Consiliario eminentissi-
mo, Consistorii Altenburgensis Præsidi gravissimo,
Ecclesiæ Cathedralis Numburg. Canonico
splendidissimo &c.

juxta ac

GENEROSO, PERQVAM STRENUO, AC NOBILISSIMO
DOMINO

DN. ANTONIO von Schönberg/
Toparchæ in Limbach / & Mittel-
Frona / &c.

*Dominis ac Mæcenatibus suis Magnis, Evergetis ac Promoto-
ribus, omni reverentiæ, subjectionis, & obsequii cultu ata-
tem colendis, prosequendis primigenium hocce periculum
Academicum, cum calidissimo omnigenæ prosperitatis
Voto, in sui commendationem, & debitæ gratitudinis mo-
numentum humillime*

Dat, offert, consecrat

AUGUSTINUS Fritzsche/
Philos. Studiosus.

EXERCITATIO XIX.

ad

Pericop. Epistol. Domin. Lætare
ex Gal. IV. 21 --- 31.

Positio I.



Doctrinam de *justitia fidei illustri allegoria* declaraturus Apostolus, *attentionis excitationem* per ἀνακόινωσιν præmittit: λέγετέ μοι, inqviens, οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον ἔκ ἀκέετε; Phrasis ὑπὸ νόμον εἶναι ex *Subjecto*, cui jungitur, dijudicanda venit. Aut n. de *Judeis V. T.* aut de *ipso Christo*, aut de *Hominibus N. T.* tum *negativè* in *bonam*, tum *positive* in *malam* partem sumitur. De *Judeis V. T.* usurpata, *obedientiam* eorum *legi debitam*; De *Christo*, *Subjectionem* *Ejus* *sub lege spontaneam*; De *Hominibus N. T.* *negative*, *liberationem* eorum à *maledictione legis*; De *Hominibus N. T.* *positive* *obedientiam* *legi* *cum opinione meriti & justificationis præstitam* designat. *Prima* acceptio habetur *I. Cor. IX. 20.* *Alter* Gal. IV. 4. *Tertia* Rom. VI. 14. Gal. V. 18. *Quarta* hujus loci propria; ubi *sub lege esse velle* non tantum est *legi obnoxium*, & *ad servandam eam obstrictum esse*, sed & *ex operibus legis justitiam* *coram Deo expectare*, quod faciebant Galatarum seductores *ψευδαπόστολοι*. Vide *supra Exercit. V. pos. 14. p. 40.* Participium θέλοντες hanc *emphasin* habet, ut præter usitatam sui significationem, *quandam* *ejus etiam* *qs. qualitatem* *aut conditionem* innuat h. s. *qvi ultro & cupide appetitis*. Sic & alibi θελήσας est *cupide optare* Marc. X. 35. XII. 38. Vide *G. S. l. 3. t. 3. c. 14. p. 265.* *Quam emphasin* participium θέλοντες etiam observavit *Chrysostomus*: καλῶς, inqviens, εἶπεν οἱ θέλοντες, ἔδ τῆς τῶν πραγμάτων ἀκολυθίας, ἀλλὰ τῆς ἐκείνων ἀκαίρας φιλονεικίας τὸ πρᾶγμα ἦν. In eo quod sequitur: τὸν νόμον ἔκ ἀκέετε, vox νόμος per *elegantem ἀντανάκλασιν*, cuius *Figure* in sacris *exempla* non pauca collegit *Glassius R. S. t. 2. c. 3. p. 529. seqq.* repetitur. Nam ut in priori membro *legem Mosaicam*; ita hic in posteriori *Genesis* seu *librum primum Pentateuchi*, ex quo subsequens *historia de Hagar & Sara* citatur, innuit. Sic enim *Theophylactus Chrysostomi Epitomator*:

Y

Νόμον

Resp.

AUGUSTINO

FRITZSCHIO

Mühlens.

Mifn.

die 8. April.

Com. XXI.

Νόμον δὲ λέγει τὸ τῆς γενέσεως βιβλίον. ἔθος γὰρ αὐτῷ πᾶσαι τὴν παλαιὰν, νόμον καλεῖν. Nimirum tota Scriptura Mosaica vocatur. **לְחֵן** lex seu volumen legis Deut. IV. 44. XXVIII. 61. Jos. I. 8. Nehem. VIII. 2. IX. 3. & inde Genesis κατ' ἐξοχὴν lex est, quod ibi legis initium. Vide Paulum I. Cor. XIV. 34. collat. cum Gen. III. 26. Sic & Exodus lex dicitur Nehem. VIII. 14. Leviticus, Luc. II. 24. Numerorum, Nehem. X. 36. Matth. XII. 5. Deuteronomion, Joh. IIX. 17. Pro ultimo ἀκῆετε auditis, Vulgatus habet: legistis, commutans & verbum ἀναγινώσκετε cum verbo ἀκῆετε, & tempus präteritum cum presenti. Neutrum bene. Habet enim tropus ille suam gratiam, quo lex ipsa, qs. loquatur, introducitur vetans, ne posthac seruetur. Utitur autem presenti magis quam präterito, quia res illa presentes tangebatur, hoc ipso repugnantes legi, quod affectarent observare legem. Insinuat hoc Chrysostomus. Νῦν δὲ αὐτὸν εἰσάγει τὸν νόμον παρακαλεῖται μὴ φυλάττειν αὐτὸν, ἀλλὰ ἀναχωρεῖν, ὅπερ ἦν ἰσχυρότερον.

Com. II.

Pos. II. Attentione sic excitata, ipsa historia ex Genes. XVI. & XXI. satis nota primo proponitur v. 22. 23. Deinde allegorice explicatur v. 24. 25. 26. 27. Denique ad institutum applicatur v. 28. 29. 30. 31. Ut verò tota hæc allegorica Pauli tractatio (aliquantò obscurius posita, ex eò quod non persistat in præsumpta voce διαθηκῶν; sed ejus loco, si de Veteri fœdere loquitur, primum Ἄγαρ, ποικ Σινᾶ, deniq; Ἱερουσαλήμ substituatur v. 25. 26. Similiter pro novo fœdere τὴν ἀνω Ἱερουσαλήμ assumat v. 26.) eo rectius intelligatur; placet hic statim ejus Diagramma ex Roberti Constantini Lexico Græco-Latino, etiam Ludovico Capello in spicilegio ad h. l. laudato, sub voce Συσοιχία; proponere. In eo enim ἀντίσοιχα septem, σύσοιχα, uti ipse Apostolus infra commate 25. vocare videtur, quatuordecim apparent. Αντίσοιχα sunt (1) Uxores Abrahæ duæ; AGAR pellex & ancilla, SARA Libera & Legitima uxor v. 22. (2) Filii duo; ISMAEL servus secundum carnem, ISAAC liber vi promissionis v. 22. 29. (3) Montes duo; SINAI in Arabiæ deferto, SION in terra Canaan v. 24. 25. (4) Testamenta duo; LEX in monte Sina, à Mose data; EVANGELIUM à Christo de cœlo allatum v. 24. (5) Civitates duæ; JERUSALEM terrestris, mater Judæorum; JERUSALEM cœlestis mater omnium fidelium v. 25. 26. 27. (6) Populi duo, JUDÆI legi addicti, Justitiaris; CHRISTIANI fideles sola DEi gratia nixi v. 28. 31. (7) Status sive Conditiones duæ; SERVITUS metum gignens conjuncta

juncta cum ejectione ex familia Abrahæ; LIBERTAS fiduciam & consolationem pariens conjuncta cum hereditate bonorum Abrahæ v. 30. Σύσειχα ergò quæ typice & analogicè sibi h. l. respondent, & inter se conferuntur, ex una parte sunt (1) Hagar, (2) Ismael (3) Sinai, (4) Lex (5) Jerusalem terrestris, (6) Judæi, (7) Servitus; Ex altera parte: (1) Sara, (2) Isaac, (3) Sion, (4) Evangelium, (5) Jerusalem cœlestis, (6) Christiani veri, (7) Libertas. Uxores Abrahæ duæ in hoc com. 22. nominatæ sunt Hagar & Sara. Illa παιδίσκη dicitur, quod esset Ancilla ex Aegypto oriunda, quam Sara marito suo dederat uxorem Gen. XVI. 3. Ἡσὺ δὲ ἐλευθέρα, quod esset materfamilias, & conjux primaria in Domo Abrahæ. Saram in ἀλληγοριῶν libro τὴν ἀρετὴν interpretatur Philo quæ ingenua est; Hagarem verò artium cognitionem, quæ virtuti famulari debet, aut alioquin expelli. Utrumque uberius explicatum dedit in libro περὶ τῆς εἰς τὰ θεοπαίδεύματα συνόδου. Sed quia hæc expositio planè est contra mentem Apostoli, à nobis hic parum attenditur.

Pos. III. Prædictarum mulierum filii sunt Ismael & Isaac. De Com. XXIII. Ismaele dicitur: ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης κατὰ σὰρκα γεγέννηται. De Isaaco: ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας διὰ τῆς ἐπαγγελίας. Vocem παιδίσκης pro Ancilla sæpe usurparunt LXX. Vid. Kircherum in Concord. Græc. Part. I. p. 364. Vide etiam Matth. XXVI. 69. Huic opponitur ἐλευθέρα quinquies in hoc capite, utpote v. 22, 23, 26, 30, 31. Supra Gal. III. 28. ὁ ἐλευθέρος opponitur τῷ δούλῳ. Conf. 1. Cor. XII. 13. Κατὰ σὰρκα γενῆσθαι est secundum consuetum naturæ ordinem atque cursum, justarum etatum parentibus, in lucem edi; Ex promissione verò seu διὰ τῆς ἐπαγγελίας γενῆσθαι metonymice est admirando modo, & supra naturam, per eam vim extraordinariam, quam Deus promiserat, nasci. Priori modo nascebatur Ismael ex juvencula, & ad partum idonea matre, τῇ φύσεως ἀκολούθια. Posteriori verò Isaac, ἢ κατὰ φύσεως ἀκολούθια, ἢ δὲ κατὰ γάμων νόμον, ἢ δὲ κατὰ σαρκὸς δύναμιν γενόμενος, ἀπὸ τῆς φύσεως νεκρωθείσης, καὶ ἀπὸ τῆς μητρὸς πεπηρωμένης, uti eleganter loquitur Chrysostomus. Quæ causa, cur Scriptura Gen. XXI. 1. generationem Isaaci peculiari Phrasi describat: Deum, dicens, visitasse Saran, ut nempe ostendat; non consuetæ ratione, sed singulari Dei providentia, sterilem & effœtam Saram, Isaaci matrem factam fuisse. Alii κατὰ σὰρκα h. l. exponunt ex consilio carnis; Quia enim Sara desperabat de fecunditate sua; hinc instinctu carnis, maritam ad ancillam



iam ingredi iubens: Fortè, ait, ex illa edificabor Gen. XIV. 2. Ut sic Ismael sine verbo promissionis, ex solo carnali Saræ consilio conceptus, à Paulo κατὰ σάρκα natus esse rectissimè dicatur.

Com. XXIV.

Pos. IV. Allegoriam in Historia de Hagar & Sara latentem explicaturus generale monitum præmittit istud: Ἄτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, h. e. quæ sunt ita dicta, ut aliud quid figurent, seu quæ sub literalis sensus involucro, adhuc alium sensum, puta mysticum, continent. Undè Chrysostomus; ἢ μὲν ἰσορῶσα αὐτῆ ἔτῃτο μόνον παρεθλοῖ, ὅπερ φαίνεται, ἀλλὰ καὶ ἄλλα τινα ἀναγορεύει. Διὸ καὶ ἀλληγορία κέκληται. Est autem ἀλληγορέω qs. ἄλλο vel ἄλλως ἀγορεύω aliis verbis loquor, aliter loquor quam sentio, citra deceptionem tamen, doctrinæ gratia. Hinc ἀλληγορίαν Fabius l. 8. Inst. c. 6. p. m. 464. inversionem interpretatur, quæ aliud verbis, aliud sensu ostendit, ac etiam interim contrarium. Quomodo ἀλληγορεῖν æquivallet τὰ ἀνιτήσθαι καὶ τροπολογεῖν. Sic apud Synesium ἀλληγορεῖν τὸν μῦθον est alium fabulæ sensum afferre, quam qui sub verbis apparet. i. e. allegoriam fabulæ exponere. Et apud Eustathium ad Odys. Homeri dicitur: ὁ κύκλωψ εἰς τὸν θυμὸν ἀλληγορεῖται h. e. Per Cycloplem iracundia allegorice significatur. In sacris ἀλληγορίαι est rei alicujus mystica, per aliam in Scripturis narratam, representatio. De allegoriæ tum definitione tum distinctione plura vide sis apud Glassium P. S. l. 2. p. r. t. 2. f. 3. p. 290. 314.

Ibid.

Pos. V. Nunc porrò, quid illa historia sibi velit? exponitur, idq; tum conjunctim, tum distinctim. Conjunctim his verbis: αὐτὰ γὰρ εἰσιν αἱ δύο διαθήκαι. Fæmininum αὐτὰ, Chrysostomus, Oecumenius, & Theophylactus, ad paulo remotius, ad matres sc. puerorum illorum, Hagarem & Saram referentes h. m. exponunt: ἢ Ἄγαρ καὶ ἢ Σάρρα τύποι ἦσαν τῶν δύο διαθηκῶν. Vel αἱ δύο γυναῖκες ἀλληγοροῦνται (referuntur per allegoriam) εἰς δὲ τὴν νέαν καὶ εἰς τὴν παλαιάν διαθήκην. Quomodo verbum Substantivum εἰσὶ nullam, uti quidam volunt, Metonymiam sustinet, ut pro significant ponatur, sed in sensu proprio accipitur. Si quidem Hagar & Sara, reverà sunt Typi duorum Testamentorum V. & N. Alii, quod eodem recidit, fæmininum αὐτὰ pro neutro ταῦτα positum esse volunt, & ad propinquius, τὰ ἀλληγορούμενα sc. h. e. allegoriata, ut Ariasmontanus vertit, pertinere dicunt h. s. ea quæ in historia recensita spiritali sensu intelliguntur sunt duo Testamenta. Neq; obest diversitas generis in relativo seu demonstrativo αὐτὰ. Sæpè

Sæpè enim *relativum* convenit *genere & numero* cùm *Substantivo* con-
sequente, quum deberet respondere *antecedenti*, ut Matth. XIII. 38. τὸ
καλὸν σπέρμα, ἔσται εἰς τὸν οἶνον. Gal. III. 16. τῷ σπέρματι σου, ὃς ἐστὶ
Χριστός. Eph. I. 13. 14. τῷ πνεύματι ὃς ἐστὶν ἀρραβὼν. Vide *Glassium* G. S.
l. 3. t. 2. c. 17. p. 207. Quo stante, *nullum* iterum agnoscimus *tropum*
in verbo *Substantivo* εἰσί. Siquidem ἀλληγορούμενα illa in historia Ha-
garis & Saræ occurrence reverà sunt duo illa Testamenta seu fœdera,
V. atq; N. allegorice ibi descripta juxta conditionem uxorum atq; fi-
liorum duorum Abrahæ.

Ibid.

Pos. VI. *Distinctim* de fœdere legali in hoc com. 24. tria enun-
ciantur. Primum est; quod fœdus legale sit è monte Sina: μία μὲν ἀπὸ
ὄρους Σινᾶ sc. δοθεῖσα data. Quod attinet vocem Σινᾶ *Drusio* lib. 7.
Præter. p. 268. & *Comment. prior.* ad voces N. T. Hebr. p. 165. ex He-
bræo יְיָ סִינַי hoc est Σινᾶί *Sinai*, factum videtur Græcum Σινᾶ vel Σινᾶ
Sirach XLIX. 7. subscripto Ἰώτα. Deinde Σινᾶ *Exod.* XIX. 1. 2. vel
Σινᾶ neglecto puncto, quod pro jota subscriptum erat. *Ludov. Ca-
pello* in *Spicil.* mons iste dictus existimatur à voce נֶסֶךְ quæ & he-
braice & arabice spinam, rubum & senticetum significat, quod Deus
isthic Mosen מִן הַר הַרְבֵּי עֵינַם de medio Rubo allocutus *Exod.* III. 2.
inque ejus lapidibus figura ruborum essent, juxta *Mosis Narbonensis* tra-
ditionem apud *Drusium* modo laudatum. Alterum est; quod in con-
ditionem servilem generet prolem: εἰς δουλείαν γεννώσα sc. τὸ γέννημα.
In verbo enim γεννώσα nomen verbale includitur, ex idiotismo lingue
Sancæ, ut 1. *Cor.* XV. 29. οἱ βαπτίζομενοι sunt qui abluuntur ablutione.
Et *Heb.* XI. 12. Ex uno ἐγεννήθησαν h. e. nati sunt posterii. Vid. *Bezant*
ad hæc loca. *Theologicam* hujus Phræseos expositionem suggerit *Hie-
ron.* *Vellerus* apud *Glassium* in *annot. exeg.* p. 733. Tertium est; quod
typum gerat ancilla Hagar: ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. Vox Ἄγαρ Latine Hagar
cum aspiratione, sicuti hebræum אַרְיָא quam tamen *Græci* respuunt.
Originem suam sumere videtur ex *Arabico* أَرِيَا fugit peregrinatus est.
Unde אַרְיָא fuga. Appellata hoc nomine est *Ancilla* Saræ *Egyptia*
Abrahæ Pellex, mater *Ismaelis*, quæ vel alteri, vel uti nonnulli pu-
tant, post Saræ mortem, ipsi *Abrahæ* nupsit & *Cethura* vocata fuit
Gen. XXV. 1. Hinc & Ἀγαρηνοὶ i. e. *Agareni* populi *Arabix*, ex *Ismaele*
filio *Agar* orti nomen suum accepisse multis videntur, dicti postea
סַרְאקִינִי סַרְאקִינִי סַרְאקִינִי *Saraceni*, quod essent homines leves, rapinis &
latroci.



latrocinis dediti. Vide Schindlerum in *Lex. Pentagl.* p. 423. Quando ergo de fœdere legali ad *Servitutem* generante h. l. dicitur: ἡ τις ἐστὶν Ἄγαρ, vox ἀλληγορημένη ex paulo præcedentibus repetenda, ut hæc emergat propositio: Διαθήκη εἰς δούλειαν γεννώσά ἐστιν ἀλληγορημένον ἢ ἀντιτύπου τῆς παιδίσκης Ἄγαρ. Quæ propria est prædicatio accidentis de *Subjecto*. Accidit enim huic Testamento, ut præfiguratum sit per *Ancillam Hagar*. Quidam annotante *Erasmio*, relativum ἡ τις respicere dicunt δούλειαν, sensu ferè eodem recidente; Perpusillum enim refert; utrum *Hagar* typum habeat Testamenti generantis in *servitutem legis*, an ipsius *servitutis*, quam habebat Testamentum? *Heinsius Exercit. Sac.* l. 9. c. 5. p. 451. illud ἡ τις ad montem *Sina* referens hunc locum ita exponit: Qui mons *Sina* est *Hagar* i. e. peregrina illa. Vult enim *Apostolum* ad significationem *Hagar ancillæ Arabicæ* allusisse. Nam ut *Hagar* extra benedictionem, & extra fœdus promissionis, adeoq; peregrina simul & significatione vocis & re ipsa fuit; sic & extra terram illam quæ promissionis dicitur, *Sina mons Arabiæ* extitit. Quam suam expositionem etiam in seq. com. 25. continuat. Sed novum hoc *Heinsii* ἔρρημα longius petitur, & nimis contortum est. Nam (1) vox ὄρος apud Græcos neutrius generis est, cui non benè respondet hic fœmininum ἡ τις (2) peregrinitatem in sequentibus satis exprimit. ~~montem~~ illum situm esse dicens ἐν τῇ Ἀραβίᾳ h. e. extra limites terra sanctæ. (3) ex mente *Apostoli* *Hagar* non ut peregrina, sed potius ut *Serva* vel *Ancilla*, typus fuit legis in monte *Sina* datæ.

Com. XXV.

Pos. VII. *Causam* redditurus, cur *Hagar* illud fœdus significaverit; τὸ γὰρ Ἄγαρ, inquit, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. Vetus interpres, expuncto *Hagaris* nomine, legit: *Sina* enim mons est in *Arabia*. quomodo hunc locum, teste *Beza*, citant etiam *Augustinus* de utilit. credend. c. 2. & *Origenes* in *Cant. Hom.* 2. Sed præstat græcam receptam lectionem non immutare, quam & *Syrus* confirmat. Nomen ergo Ἄγαρ quibusdam hic formaliter supponi dicitur pro ipsa *Hagare muliere* non in se sed allegoricè considerata, quæ typus est montis *Sina* seu veteris illius pactionis legalis, in hoc *Arabia* monte celebri, sancitæ. Qs. dixerit *Apostolus*: lex illa est *Hagar* h. e. representata per *Hagarem* v. 24. Et rursus dico; *Hagar* representat montem illum *Sina*, vel potius legem in monte hoc datam v. 25. Repetitione, ut *Beza* vocat, hebraica. Vide etiam *Vatablam* ad h. l. Aliis articulus τὸ, τεχνικῶς sumitur, quomodo qui

do qui γλώσσας h. e. peregrinas interpretantur voces, usurpare solent; & Hagar materialiter pro nudâ voce ponitur h. s. Vox enim Hagar Sina respondet, qui mons est Arabia. De qua vocis Ἄγαρ cum monte Sina convenientia, duæ potissimum occurrunt sententiæ. Una est eorum qui dicunt; montem Sina Arabum lingua Ἄγαρ appellatum fuisse; fortè uti Flacius in Glos. Ordin. p. 902. & qui eum sequitur Balduinus in comment. ad h. l. p. 827. conjiciunt; quod Hagar bis ad illum montem profugit, ibiq; cum Filio Ismaele habitavit, uti liquet ex Gen. XVI. & XXI. vel uti Grotius tradit; quia ibi est oppidum Agra Plinio, Agara Dioni in rebus Trajani dictum. Atq; hanc de duplici montis istius nomine sententiam amplectuntur ex Veteribus, Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius: Ἄγαρ δὲ καλεῖται, inqvientes, αὐτὸ τὸ Σινᾶ ὄρος τῆ τῶν Ἀραβῶν γλώσση. Ex recentioribus præter jam laudatum Flacium, Balduinum, atq; Grotium, Lutherus citato Glassio in annot. exeg. p. 734. item Erasmus, Castalio, Zegerus, aliiq; plures. Altera est Ludovici Capelli in spicil. p. 108. 109. dicentis: Apostolum fortè in his verbis alluisse ad ipsum vocis Ἄγαρ sonum, qs. Ἄγαρ idem esset quod Arabicè Ḥgr Petram & lapidem Arabibus notans, unde etiam Petra Arabiæ Petreæ metropolis arabicè Ḥgr nomen habeat, ipsiq; Arabes Agareni dici videantur. Paulum ergò alludendo ad duarum illarum vocum Ḥgr & Ḥgr soni affinitatem, dixisse: τὸ Ἄγαρ ὄρος ἐστὶν ἐν Ἀραβίᾳ. Idem Capellus addit; forte etiam in Hagaris memoriam ab Arabibus ejus posteris inditum esse metropoli suæ nomen Ḥgr litera h in h mutata, ob soni & nature affinitatem, quod utraq; sit gutturalis litera. Quam conjecturam Capelli nos in medio relinquimus. Ipsa vox Ἀραβία adhuc semel legitur in N. T. Gal. I. 17. Hebraicè עֲרַב sic dicta ab עֲרַב quod Arabes miscellanea turba seu mixtura variorum populorum tabernacula inhabitantium existerent, ob id Plinio Scenite dicti; vel quod Arabia qs. solitudo & deserta Regio esset, ex significatione nominis עֲרַב i. e. desertum, locus solitarius. Vide Joh. Buxtorffium in Lex min. p. 578. & 581.

Pos. VIII. Verba quæ nunc sequuntur, συσχοῖ δὲ τῆ νῦν Ibid.
 Ἰερουσαλήμ maximam crucem figunt Interpretibus, ob verbum συ-
 χοῖν, quod alii aliter vertunt. Syrus habet ܣܘܫܚܘܝܢ Et con-
 sentit. Hieronymus, teste Beza, confertur. Vulgatus: conjunctus est.
 Erasmus: confinis est. Beza: eadem serie respondet. Grotius: pari jure
 est.

est. Lutherus. Langēt bis. &c. Nec minor varietas in expositione hujus verbi occurrit, dum vel ad *situm*, vel ad *itineris continuationem*, vel ad *eandem seriem*, *qualitatem*, & *conditionem* refertur. Ad *situm* inter alios refert Genebrardus in Ps. CXXX. 3. ita scribens: *Judaea montosa erat tota, qua ratione Sinai conjunctus dicitur ei, quæ est Jerusalem, Gal. IV. perpetuo enim dorso sese versus Sionios montes exporrigit. Huc pertinet versio Vulgati, Erasmi ex parte, & Lutheri. Sed qui ita cum Genebrardo sentiunt, è tabulis Geographicis & itinerariis terra Sanctæ refutari possunt. Ad itineris continuationem spectare dicit Thomas de Aquino, qui montem hunc ideò dictum esse vult conjunctum vel confinem cum Hierosolymis, quod illinc huc profecti sint, vel Israelitæ, vel etiam Hagar ex Ægypto ad Saram tendens. Quæ interpretatio, censente Beza, non indiget refutatione. Favet quidem ipsi, quod σοιχαῖν aliquando incedere significet Rom. IV. 12. Gal. V. 25. VI. 16. quâ notione retentâ σοιχαῖν esset coincedere, aut simul ambulare. Vide Flacium in clave Script. P. I. p. 162. Sed à particulari notione ad universalem, quæ ubiq; & sic etiam h. l. obtineat, N. V. C. Addit Erasmus: huic Thomæ commento obstare non nihil tempus præsens verbi σοιχαῖν, quod iter Israelitarum, sicut etiam Hagaris ex Ægypto, multis seculis præcesserit. At verò quam frigidè hæc objectio Erasmi, nervum Thomæ incidat, crudité ostendit Glassius in annot. exeg. p. 735. Ad eandem deniq; seriem, qualitatem, & conditionem. Theophylactus refert: Συσοιχαῖ δὲ inq̄uens, καὶ τῆ Ἱερουσαλήμ; τέσσι, γειτνιάζει, ἀπτεται ἢ ὅτι ἀπεικάζεται τῆ κάτω Ἱερουσαλήμ, καὶ ἀναλογεῖ αὐτῆ, καὶ εἰς ἐκείνην ἐκλαμβάνεται, ὡς ὁμοιότητι ἔσης ἀμφοῖν. Huc pertinet Versio Syri, Hieronymi, Bezae, Schmidii, Grotii. Estque hæc interpretatio procul dubio verissima. Nam quæ ita ordine sunt locata seu coordinata, ut mutuum inter se respectum habeant, & similitudine quæpiam respondeant, Græcis σοιχαῖν dicuntur. Σύσοιχα verò sunt res ejusdem ordinis ac sortis. Et σοιχαῖα dicitur rerum inter se similium series, veluti hic duas series habemus, unam veteris Legis, ubi σύσοιχα sunt, Hagar, Ismael, Sinai &c. alteram Gratia in Christo, ubi σύσοιχα sunt Sara, Isaac, Sion, &c. Vide Diagramma supra descriptum Pos. 2. p. 179. Sensus ergò verborum Apostoli est; quod Hagar sit typus & figura non modo legis in Monte Sina promulgatæ, sed & Hierosolymæ h. e. Populo Judaico, cujus metropolis est Hierosolyma, congruat.*

Ἱερουσα

Ἱερουσαλήμ, Hebraice יְרוּשָׁלַיִם *forma duali* scribitur Jer. XXVI. 18. & adhuc *quatuor locis* in *Masora* hic recensitis; aliàs יְרוּשָׁלַיִם *defectivè sine Jod.* Dicta sic à *Davide*, qv̄i *nomini pristino* שָׁלֵם Gen. XIV. 18. (à שָׁלֵם *Pax*) addidisse perhibetur יִרְאֶה *videbit, providebit,* vel יִרְאוּ *videbunt* (à רָאָה *vidit*) ex *denominatione montis Morijæ* Gen. XXII. 14. ut sic *eadem denominatio montis Morijæ, & Civitatis Jerusalem* ex parte illi *superstructæ* fuerit; Ipseq; *David* ad *illustrem illum typum Messie in Isaaco propositum* Spiritu q̄s. respexerit, uti *elegantè hanc etymologiam* uberius diduxit *Glassius* G. S. l. 4. t. 3. p. 845. & *cæteris* longe prætulit, qvas vide sis apud *Pasorem* in *Lex. Etym. Nom. Prop. N. T.* p. 32. Confer & *Schindlerum* in *Lex. Pentagl.* p. 1878. *Gracè & Latinè* tribus modis *flectitur*: ἡ Ἱεροσόλυμα, ης, *Hierosolyma,* α, Matth. II. 3. III. 5. τὰ Ἱεροσόλυμα, ων, *Hierosolyma, orum,* Matth. XVI. 21. Marc. III. 8. Luc. XXIII. 7. Joh. I. 19. &c. Ἱερουσαλήμ *Jerusalem,* ἁκλιτον Matth. XXIII. 37. Marc. XI. 1. Luc. II. 25, Act. I. 8. &c. In *facris Jerusalem duplex datur, cælestis & terrestris.* *Cælestis* est vel *Gratiæ;* nimirum *Ecclesia in his terris militans,* de qua com. seq. 26. vel *Gloriæ,* *Ecclesia sc. in vita æterna triumphans,* cujus *mentio* Hebr. XII. 22. *Quæ & nova Jerusalem* Apoc. III. 12. dicitur. *Terrestris* in hoc com. 25. ἡ νῦν Ἱερουσαλήμ appellatur, non, uti *Erasmus* sentit, quod olim ea *civitas aliis nominibus fuerit insignita,* primum *Salem* Heb. VII. 1. deinde *Jebus* Jud. XIX. 10. deniq; *Jerusalem;* sed quia τῆ ἀνω Ἱερουσαλήμ, v. 26. opponitur, *terrenum sc. & temporale, æterno & cælesti,* non *presens, nomini antiquo.* Forsan *rectius sensisset Erasmus,* si *Paulum simul hac appellatione respectum habuisse dixisset ad pristinum hujus urbis statum,* ubi *sanctos* habuit *Patriarchas, Prophetas, & Reges,* non in *Lege* sed in *Doctrina de Messia justitiam & salutem* qv̄ærentes. Vide *Baldwinum* in *Comment. ad h. l.* p. 827. H. l. μετωνυμικῶς *nomen urbis Jerusalem pro urbis incolis, Judæis sc. Christum repudiantibus & ex Lege propriam suam justitiam stabilire conantibus* ponitur, cujus *metonymicæ locutionis exempla* plura congeffit *Glassius* R. S. t. 1. c. 3. p. 42.

Pos. X. De *Hagare allegorica* tandem dicitur: δελεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Alii *codices* habent γὰρ. *Syrus,* mediante *copulativa particula ET iterata,* sic effert: *וְשֵׁרַיִם לְבָנֶיהָ וְשֵׁרַיִם לְבָנֶיהָ* h. e. *servit servitntem ipsa* (non *ipse* uti *Trostiana versio*

Ibid.

Z

habet

habet, est enim ἄστυ (fœmininum) & liberi ejus. Nimirum & Hagar & Liberi Hagaris serviebant; Illa, quia servilis, non libera conditionis; Hi quia ex serva matre nati. In conditione quippe libera aut servili non apud Romanos tantum & Græcos, sed & apud Hebræos atq; Arabes, partus jus maternum sequebatur. Innuit autem Paulus Synagogam Hierosolymitanam legalibus tantum exercitiis occupatam & ipsam servire sc. legi & meros servos generare aeternæ damnationi mancipatos. Benè Theophylactus: ὡπερ ἐν ἡ Ἄγαρ δούλη ἦν καὶ εἰς δουλείαν ἐγέννησεν: ἔγωγε καὶ ὁ νόμος ὁ ἐκ τῆς Σινῆ ὄρεος τῆς καλεσμένης Ἄγαρ, καὶ πρὸς τὴν Ἱερουσαλήμ ἀπεικασμένης, ὡς συστοίχον ὄντων αὐτῆ καὶ ἀναλόγου, εἰς δουλείαν γεννᾷ τὸς αὐτῶν προσέχοντας. Mox elegantem rationem hanc subjiciens ait: καὶ γὰρ ἐν τῷ νόμῳ πολὺ τὸ ἀνελεύθερον, καὶ δουλικόν. Ἦτε γὰρ ἀρετὴ ἐπὶ μὲν ὧ ἐνομοθετήσατο Φαραὼ, τοῖς τῆς γῆς, Φημίσι ἀγαθοῖς: καὶ ἡ τῆς κακίας ἀποφυγὴ διὰ κολάσεων καὶ φόβων εἰσηγήσατο.

Com. XXVI.

Posit. XI. In explicatione hujus allegoriæ jam ad alteram seriem, quæ est gratiæ in Christo, priori, quæ est Veteris legis, è diametro oppositam accedit: Ἡ δὲ ἄνω, inqviens, Ἱερουσαλήμ ἐλευθεροῦσα ἐστίν. Jerusalem nempe terrestris in duas partes dividi solet, superiorem, quæ ἡ ἄνω πόλις, item ἡ ἄκρα, & inferiorem, quæ ἡ κάτω πόλις dicitur, quas nomine hebræo ⲓⲏⲣⲟⲩⲁ dualem formam habente indicatas fuisse non pauci rentur. Ad duplicem ergo hujus urbis partem, & fortè ad Dualem etiam vocem Paulum h. l. respexisse valde probabile est. Notat autem ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ h. e. superna vel sublimis, & quæ sursum est Jerusalem, Ecclesiam N. T. novæ Evangelii fœdere sancitam, μεταφορικῶς, quia hujus typus in monte & civitate sancta præcessit, & ex urbe Hierosolyma vox Evangelii in univrsam terrarum orbem prodiit, ut sic allusio quædam sit ad etymon, juxta quod Jerusalem visionem pacis designat: quod nomen Evangelio ἐν τῇ ἄνω Ἱερουσαλήμ resonante eximiè competit, Luc. II. 14. Rom. V. 1. X. 15. I. Cor. VII. 15. Eph. II. 17. Eadem metaphora habetur Esa. XL. 9. XLIX. 14. LIX. 20. Zach. IX. 9. Heb. XII. 22. Dicitur autem ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ ratione causæ, tum efficientis, quia Deus in cælis habitans eam elegit &c. tum materialis ob sublimitatem rerum, quæ ibi tractatur, & quia membra ejus quæerunt ea quæ sursum sunt; tum finalis, quia vitam æternam, novam illam Jerusalem hæreditat. De hac mystica Jerusalem adhuc duo in textu efferuntur (1) quod sit ἐλευθεροῦσα libera

libera sc. à servitute legis, Saræ libera in hoc similis (2) quod fit μήτηρ πάντων ἡμῶν. *Matris* nomen *Ecclesie* optimè convenit; in ea enim per lumen verbi Evangelici regenerantur omnes, qui credunt & ad jus filiorum Dei adsciscuntur, tam conversi ex *Judeis*, quam ex *Gentibus*. Similem ferè locutionem è *Targum* in *Cant.* II. X. 5. profert *Ludov. Capellus* in *Spicil.* ad h. l. quem vide.

Pos. XII. *Figuris* haut contentus, *Scripturam* in *testem* citat *Apostolus*: γέγραπται γάρ, inquit. *Suppresso* sc. *Autoris nomine*. In *allegatione* quippe V. T. in N. sæpè nullius planè *Autoris* fit *mentio*, sed adhibetur *nude verbum*, tum *activum* λέγει, *Rom.* XV. 10. *Eph.* IV. 8. *Heb.* II. X. 8. tum *passivum* γέγραπται, idè vel *absolute*, uti h. l. nec non *Matth.* IV. 4. VII. 10. *Act.* XXIII. 5. vel *cum addito*: ἐν νόμῳ κυρίου *Luc.* II. 23. ἐν τῷ μωσέως νόμῳ. *I. Cor.* IX. 9. ἐν βίβλῳ ψαλμῶν *Act.* I. 20. ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν *Act.* VII. 42. Aliquandò *mentio* fit *ipsius Scripturae* in *abstracto*, ut *infra* com. 3. ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή. Vide *Andr. Keslerum* in *Disput.* de *Allegat. Dictor.* V. T. in N. cap. 2. §. II. 13. Sunt autem hic *verba*, quæ sequuntur, LXX. *Senum* *Esa.* LIV. 1. Ubi enim *Apostolici viri* loquuntur ad *populos*, iis plerumq; *testimoniis* utuntur, quæ jam fuerunt in *Gentibus* divulgata, & sequuntur *versionem* LXX. *interpretum* *græcam*, ut ait *Hieronymus* *quæst. hebr. super Gen. tom.* 4. fol. 102. De quo *allegandi modo* vide *Flacium* l. 2. *Clav.* p. 103. *Glassium* R. S. t. 2. c. 7. p. 504. *Keslerum* loco citato c. 4. §. 29. seqq. *Calovium* in *Crit. Sac.* T. II. *Dis.* 2. m. 8. p. 725. In illo autem *Esaie* *Dicto* primò notandum, *participia* *presentis temporis*: τίκτσα, ὠδίνσα, poni pro *preteritis*, quod & *sensus* *exigit*, & *ex fontib; hebraicis* manifestum. Estq; in *historicis narrationibus*, istà *presentis* pro *preterito* *Enallage* nihil frequentius. vide *Glassium* G. S. l. 3. t. 3. c. 48. p. 382. Sic *Hebr.* II. 16. Semen *Abrahæ* ἐπιλαμβάνεται *assumit* h. e. *assumpsit*. Per *εἶρα* τὴν ἔτικτσαν καὶ ἔκ ὠδίνσαν h. e. *sterilem* quæ non parit, nec *parturit*, notante *Theophylacto*, τὴν ἐξ ἐθνῶν ἐκκλησίαν intelligit, quæ *Christianos paucos*, *Ecclesia Judaica* durante, *reperit*; καὶ γὰρ ἔρημος ἦν, pergit *Theophylactus*, θείας γνώσεως, καὶ ἀτενῶν ἔδρα προφητικὴν θεῶν προνεγύσα ἢ διδάσκαλον. Eadem vox ἔρημος dicitur *hebraice* ערמוּת h. e. *desolata*, *destructa*, *excisa*, quæ *virum non* habet, sed *vidua* est; necq; *prolem* vel *liberos*, sed *Orba* est. *Loca parallela* sunt *2. Sam.* XIII. 20. *Thren.* I. 13. *Alluisse* autem *Paulus* ad *Saræ*

Comma
XXVII.

sterilitatem his vocibus videtur. Per τὴν ἔχασαν τὸν ἄνδρα h. e. *latum & fecundum conjugium habentem*, significatur ἡ τῶν Ἰσρααίων συναγωγή. Rationes duas profert Theophylactus istas; ἢ ὅτι τὸν νόμον εἶχε διοικῶντα τὰ αὐτῆς, ἢ ὅτι τὸν θεὸν αὐτόν. Neque hic à cœpta similitudine abscedit Apostolus. Nam & Sara q̄s. *vidua* fuerat, cum Hagar Abrahamū possideret. Ad priorem dicitur: Ὁ Φραγνῆλι, ῥῆξον, καὶ βόησον, *Letare, erumpe & clama*. Verbum ῥῆξον potest quidem & ipsum partum pererrumpentem & prorumpentem notare; sed textus Hebræus magis exigit, ut eruptio vocis intelligatur q. d. *Propheta: Tandem tu hæctenus sterilis, post triste silentium, inexpectatam ede lætitiæ vocem*. Quomodo ῥήξει Φωνὴν habemus Job. VI. 5. & apud Aristophanem in *Nub.* nec non Demosthenem *Phil.* γ. Quod Virgilius l. 2. *Æneid.* v. 129. reddidit *rumperere vocem*, i. e. *vocem aliquamdiu suppressam tandem edere*. Vide Taubmanni *Comment.* ad. h. l. p. 438. Sic Sophocles *Oed. Tyr.* accusativo Φωνὴν *dissimulato*, ait: ὁ πῶδ' ἰα χεῖρ' ῥηγνύτω, *proferat tandem, quæ ipsi opus eruat*. Similes Phrases sunt: ῥῆξαι κλαυθμὸν *fletum suppressum tandem copiosè edere*; ῥῆξαι δάκρυα *lacrymas suppressas tandem emittere*. Taceo nunc verbum ipsum ΠΥΞ q̄d hic in hebræo est, per βοᾶν verti *Es.* XIV. 7. XLIV. 23. undè & Græci Interpretes ῥῆξον positum esse ajunt ἀντὶ τῆς Φωνὴν εὐφροσύνης ἐκλάλησον *vocem lætitiæ eloquere*. Heinsius *exerc. Sac.* l. 9. c. 5. p. 452. τὸ ῥηγνύειν ait ab Hellenistis vel absolutè usurpari, de *vociferatione*, vel cum addito, de *eruptione in laudem*, uti *Comicus* de *Gaudio* infit: *jamne erumpere hoc licet mihi gaudium*. Sic & h. l. τὸ ῥῆξον vel *erumpe in laudem* vel *vociferare & clama* reddendum esse putat. De reliquis verbi ῥηγνύειν *significationibus* vide *Erasm. Schmidium* ad *Marc.* II. 22. p. 393. *Causa cur sterilis illa latari, erumpere, exclamare* debeat est ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμης μάλλον ἢ τῆς ἐχέσης τὸν ἄνδρα. Quæ verba sic περιφράζει Theophylactus: Ὅτι νῦν ἐπληρώθη σοι τὰ τέκνα καὶ προφῆται, καὶ διδάσκαλοι, καὶ υἱοὶ θεῶν ἐκ σῆ, καὶ τὴν οἰκισμένην πᾶσαι σὺ ἐγέννησας, ἔχ' ἐν ἔθνῳ, ὡς ἡ Ἰσρααίων συναγωγή.

Comma
XXIIX.

Pos. XIII. *Allegoricam* historiæ explicationem excipit denique *Applicatio ad Justitarios legis atq̄ fidei*, consistens (1) in *generationis modo*, (2) in *conditione vitæ ac fortune*, (3) in *eventu*. De *modo generationis* in vers. præf. ait: ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ, καὶ Ἰσααὶ ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν. De voce ἀδελφοὶ jam sæpius actum. Continet ea *compellatio-*

pellationem Christianis in primitiva Ecclesia usitatissimam, quæ caritatis suæ ardorem exprimebant. Niti videtur illo Christi mandato Joh. XIII. 34. Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους &c. Hoc ergo religiosissimè in culcantes Christi Discipuli, arctissimis humane societatis vocibus sunt usi, & æquales suos fratres ac sorores; majores patres ac matres; minores filios ac filias appellarunt. Dedit hæc Blanda compellatio Gentilibus ansam traducendi Christianos quos, vel spurca libidini, vel etiam incestui se darent, cum enim hujusmodi fratres & sorores connubio jungi cernerent; Christianos promiscuè venerem spergere clamitabant; cum autem cœlibes & nulla sanguinis propinquitate se attingentes se mutuò fratres ac sorores salutare audirent, nequitiæ deditos eos esse dicebant, quod nossent aliàs & puellas blandientes amatores suos fratres, & vicissim adolescentulos amicas suas sorores compellare. Vide Lips. l. 2. var. lect. c. 1. Elmenhorstium ad Minut. Felic. Octavium. Dilherrum Eclog. Sac. Diët. 18. p. 461. seqq. Hac ergo blanda compellatione præmissa, Paulus ait; nos esse τέκνα ἐπαγγελίας καὶ Ἰσαάκ, h. e. Filios promissionis secundum Isaac. Τέκνα ἐπαγγελίας seu filii promissionis sunt, qui promissionem Evangelicam vera fide amplectuntur, & sic gratis propter Christum sine lege justificantur. Estque in hac locutione tritus ille Hebraismus, quo nomini יצחק in statu regimini posito, alterius rei nomen congrue explicandum, ipso nomine יצחק tunc omissio, additur, de quo in Supplemento præc. Exerc. XVIII. prolixè agimus. Vide interea Glassium G. S. l. 3. t. 1. c. 36. à p. 131. ad 140. Notetur etiam hic Metonymia quæ promissio ponitur, pro fide promissionem Dei gratuitam amplectente; nec non Metaphora, quæ credentes in Christum dicuntur filii promissionis, allusione facta ad historiam, quæ v. 22. 23. recensita, & v. 24. per allegoriam fuit exposita. Additur denique κατὰ Ἰσαάκ i. e. ad exemplum Isaaci filii promissionis. Ἰσαάκ nomen Patriarchæ filii Abrahæ à risa, non Saræ matris, uti quidam volunt, sed Abrahæ Patris, divinitus ei impositum, Hebraice רִישׁוֹתֵי vel רִישׁוֹתֵי à radice רִישׁוֹתֵי vel רִישׁוֹתֵי risit, uti ex Gen. XVII. 17. 19. patet. Vide Glassium G. S. l. 4. t. 3. obs. 9. n. 1. p. 791. Circa ejus Scripturam Druſius ad voc. N. T. hebr. p. 96. monet: Isahac scribendum cum adspiratione, non Isaac, quod à Græcis voces in medio non adspirantibus manasse dicit, quos in Hebraicis nominibus non sequamur.

Δόξα τῷ Θεῷ.

Dicto Oleâ ostendis quem nunc sub Præside, sacro
Vis gratuler conatui.
Gratulor, utq; viret pacatæ ramusolivæ,
Sic te virere comprecor.

D. Fridericus Rappolt,
SS. Theol. Prof. Publ.

Ipsa sibi est Virtus laudi, Augustine, quid ergo
Quos prensas, opus est versibus hisce meis?
Gaudet, ais, virtus testes sibi jungere Musas.
Rectè, Carmen amas carmine dignagerens,
Inquâ cœpisti benè, currere perge, palestra,
Et caput ornabit docta corona tuum.

Amoris & favoris ergò app.

M. Paulus Preuserus,
SS. Theol. Baccal. & ad D. Thom.
Conc. Sabbath.

Arridet paucis, Grajas adamare Camœnas,
Delectant plures arva Latina magis;
Te tamen assiduis juvat impallescere Musis,
Grajis & Latiis, non sine laude novâ.
Gratulor egregios nifus; sic pergito, Musæ
Nostrates tandem præmia grata dabunt.

*Sic in honorem Perex. ac Præs. Dn. Respondentis, Amici
suavissimi & Nationalis exoptatissimi exedias*

M. Christianus Schmid/
Penigâ Misn.

01 A 6574

ULB Halle

3

003 090 566



R. V D 17





POSITIONES PHILOLOGICÆ
GRÆCUM EPISTOLARUM DOMINICALIUM
TEXTUM CONCERNENTES,
Eruditæ φιλολογικῶν Disquisitioni exhibitæ

in
ACADEMIA LIPSIENSI.

EXERCITATIO

DECIMA NONA

ad Peric. Epist. Domin. Latrare

ex Gal. IV. 21---31.

PRÆSIDE

L. JOHANNES OLEARIO, GRÆC.
LITER. PROF. PUBL.

Respondente

AUGUSTINO FRITZSCHIO, Mühlens. Misn.

Ser. Elect. Sax. Alumno,

d. IIX. April. A. R. O. cō loc LXXI.

Auditorio Alumnorum Electoralium, Horis
pomeridianis à II, ad IV.

LIPSIÆ,
Literis JOHANNIS BAUERL

